



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.12. Concilium Turonense secundum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

Sæculum VI. insatiabili, & res omnes, etiam Episcopatus, publice vendebat, de cetero in rebus gerendis jam vecors, jam temerarius. Justinus erat propinquus, cui etiam nomen Justinus, vir bello clarissimus & de Republica optime meritus, quocum, antequam Imperium fuisset affecutus, pactum inierat, illum, cui fortuna Purpuram contulisset, alteri secundum & proximum solio gradum concessurum.

c. 2. Hunc postquam initio Regni amicitiae specie fefellit, postea ereptis corporis Custodibus, Alexandriam missum in lecto suo interfici jussit. Caput amputatum ipso mandante allatum Justinus & Sophia Imperatrix gratum oculis eorum spectaculum satis contemplati deinde pedibus ambo percusserunt. Igitur mirandi locus non est, Justinum anno Regni sui primo Legem reduxisse a Justiniano abrogatam, qua Marito & Uxori Divortii libertas concedebatur, atque Incolis Mesopotamiae, Osroenes, & Provinciae ad Euphratem sitae, multas pecuniarias ob contracta Matrimonia illicita debitas condonasse.

*Inter Nov.*

*Just. 140.*

*Nov. Just. 3.*

§. XII.

*Concilium Turonense secundum.*

In Gallia eodem anno fratrum Regum sexto duo Concilia celebrata, unum Turone in Regno Chereberti, † & ipso consen-

† Chariberti.

sentiente, alterum Lugduni in Regno Sæculum VI.  
 Guntrami. In isto præsentés fuere E- A. C. 566.  
 piscopi octo, & sex aliorum Delegati, etiam in concilio  
 nempe quatuordecim suffragia. S. Ni- to. 5. p. 847. c.  
 cetius Archiepiscopus Lugdunensis præ- 3. to 5. p. 851.  
 fuit, & sex Canones conditi, in quibus  
 nihil adeo memorabile, nisi quod illi,  
 qui conantur Personas liberas in servitu-  
 tem redigere, excommunicentur. Eu-  
 phronius Archiepiscopus præfuit in Con-  
 cilio Turonensi 17. Nov. anno 566. cele-  
 brato. Cæteri fuere S. Pretextatus Ro-  
 thomagensis, S. Germanus Parisiensis, Fe-  
 lix Nannetensis, Chaetricus Carnuten-  
 sis, Domitianus Andegavensis, Victorius  
 Redonensis, S. Domniolus Cenomanen-  
 sis, Ludebaldus Sagiensis, scilicet Epis-  
 copi novem. S. Domniolus regnante Greg. VI.  
 Rege Clotario Monasterii S. Laurentii hist. c. 9. Boll.  
 prope Parisios, quod hodie in Ecclesiam 16. Maji. to.  
 Parochialem conversum, Abbas fuerat, 14. p. 603.  
 cumque Rex fidissimum semper exper- Analect. to.  
 tus fuisset, Episcopatum Avenionensem 3. p. 95.  
 ipsi collaturus erat; at Domniolus Re-  
 gem rogavit, ne se in locum remotum  
 cum Senatoribus Sophistis & Judicibus  
 Philosophis (verba sunt Gregorii Turo-  
 nensis hæc referentis) quasi in Exilium  
 mitteret. Ergo Rex eidem defuncto  
 S. Innocentio Episcopatum Cenomanen-  
 sem dedit. S. Domniolum virtutes &  
 Miracula celebrem reddiderunt, nam  
 claudum

Sæculum VI. claudum, cui nomen Ranerius, & cœcum,  
A. C. 566. cui nomen Syagrius, sanitati restituit.

*Mart. Rom.* Obit anno 581. postquam Episcopatum  
 16. *Maji.* obtinisset annis 22. & sepultus est in  
 Abbatia S. Vincentii, quam fundaverat.  
 Ejus Memoriam Ecclesia decima sexta  
 Maji colit.

In Concilio Turonensi viginti septem  
 Canones conditi. Primo Decretum re-  
 novatur, quo Concilia bis per annum,  
 aut saltem semel celebrari jubentur, ita  
 ut nullus sub prætextu Mandati Regii  
 excusetur. Si quæ Lis inter Episcopos  
 exorta fuerit, Arbitros sibi eligant Pres-  
 byteros, donec res componatur. Epis-  
 copus Abbatem aut Archipresbyterum  
 non deponat nisi omnium Presbytero-  
 rum & Abbatum consilium exquisierit.  
 Prohibetur ordinari Episcopus in Provin-  
 cia Armoricorum sive Romanus sit sive  
 de Britonum Gente sine Metropolitæ &  
 Episcoporum Provincialium consensu.

Episcopum uxorem habentem Cleri-  
 ci ubique etiam in cubiculo suo comiten-  
 tur, atque ipse ab uxore ita separatus sit,  
 ut mulieris ancillis cum famulis Cleri-  
 corum nulla sit colloquendi occasio. At  
 in Familia Episcopi uxorem non haben-  
 tis nulla sit fœmina. Prohibetur Cleri-  
 cis aut Monachis ne bini in uno lecto dor-  
 miant. Si Archipresbyter ruri agat, Cle-  
 ricorum aliquis in ejus cubiculo dormiat,  
 &

Canones  
 Concilii  
 Turonensis.

c. 14.

& eorum septem sint, qui singulis hebdomadis has vices subeant. Presbyter Diaconus aut Subdiaconus, si apud uxorem suam deprehensus fuerit, interdicitur uno anno, & Archipresbyter, qui subditis suis invigilare neglexerit, uno mense carceri dabitur, & in pane & aqua jejunabit.

Mulieres in Monasteria virorum pedem non inferant. Monachi Cœnobium non relinquunt, & si quis nuptias inierit, excommunicabitur, & ab illa muliere separabitur. Si opus fuerit adhibeatur auxilium Judicis, qui si recusaverit, aut alii quicumque ejusmodi Monachum tutati fuerint, excommunicentur. Pari modo Matrimonia Monialium prohibentur, sive velamen de manu Episcopi acceperint, sive solummodo habitum mutaverint. Quia vero non nullæ obtendebant, quod ideo solum Monasticam vestem induissent, ne ad infames nuptias, quibus indignæ essent, adigerentur, huic excusationi Regum Childeberti & Clotarii contrariæ Leges opponuntur a Chereberto confirmatæ, quibus vetabatur puellas invitis parentibus ad Nuptias cogere. Subdit Concilium: *Si igitur aliqua sit, quæ vim sibi timendam putet, ad Ecclesiam confugiat, donec a Parentibus Mandato Principis aut auxilio Episcopi in libertatem asseratur.* Id quoque legitur,

Sæculum VI.  
A. C. 566.

c. 16.

15.

c. 20.

Sæculum VI. legitur, viduas, si se Deo consecrassent, A. C. 566. non fuisse benedictas. In isto Canone sæpius S. Innocentii Papæ, (\*) Concilio- rum Arelatensis, Mediolanensis, Epau- nensis & Legis Romanæ id est Codicis Theo- dosiani Auctoritas adducitur.

c. 11. Idem Codex allegatur in Canone sequente contra nuptias incestas edito. Præprimis fusc & singillatim Auctoritas Legum Divinarum hæc scelera prohi- bentium affertur, ut palam Populis præ- legatur, & nemo ignorantiam obtendat.

Levit. 18.

Deuter. 27.

Greg. IV.  
hist. c. 26.

Hoc Canone Concilii Turonensis Rex Cherebertus speciatim argui videtur. Ingoberga Regina uxor ejus in muliebri familia alebat duas puellas, quarum Pa- ter erat Lanarius; prima, cui nomen Mar-

(\*) P. Balduinus ad hunc locum Fleurii ma- lam fidem demonstrare se putat, quia verba illa ex Concilio Turonensi non excerpfit: *Quis Sa- cerdotum contra Decreta talia, quæ a Sede A- postolica processerunt, agere præsumat? &c.* Saltem Fleurius hic de S. Innocentii Papæ Au- ctoritate mentionem intulit. Deinde volebat peculiaria ex Concilio Turonensi excerpere, non ea, quæ in aliis passim occurrunt. Utiliorem Rei Catholicæ laborem suscepisset P. Balduinus, si innumeros textus a Fleurio ex Conciliis & SS. Patribus excerptos, & Auctoritati SS. Pontifi- cum faventes adnotasset; non exiguum certe conscripisset volumen.

Marcuefa, vestem Monasticam gerebat. Sæculum VI.  
A.C. 566.  
 Alteri nomen erat Merofleda. Utriusque amore captus est Rex. Ut amantis animum a vili fœminarum conditione averteret Ingoberga Regina, advocato secreto puellarum patre, Regem invitavit, ut ad se veniret, nempe ut hunc virum servili labore insudantem cerneret. Exacerbatus Rex relicta Ingoberga, quamvis ex ea filiam suscepisset, Merofledam accepit. Aliam quoque amabat Concubinam Theodegildam nomine pecoris custodis filiam, ex qua natus est ei filius, statim postquam lucem aspexisset fato præreptus. Tandem duxit Marcuefam, non obstante, quod Merofledæ soror esset, & Monialis. Inde ambo a S. Germano excommunicati. Ipsa haud diu postea e vivis cessit, nec Cherebertus Rex diu superstes fuit, sed anno 567. migravit ex hoc mundo. Fœminas tantum genuit, Bertham seu Editbergam ex Regina Ingoberga natam, postmodum Ethelberto Cantiorum in Anglia Regi nuptui datam. Duæ aliæ Chereberti filiæ Bertofleda & Chrodielta vitam Monasticam illa Turone, altera Pictaviæ amplexæ sunt.

*ibid.**Coint. an.  
567. n. 35.*

## §. XIII.

*Concilium Turonense continuatur.*

Patres Concilii Turonensis nonnulla  
circa